

ene, quod ea de quibus ambigis, clam te esse non pateris. Vnde exoratus sit à nobis doctissimus doctor, ut te secum negotium habere patiatur: quia in commune proficient, quæ desideras audire. Ne tu modo ultra cesses aperire Seruio uiam de Vergilio differendi. Tunc Auienus totus cōuersus in Seruium: Dicam uolo, inquit, doctorū maxime, quid sit, quod cum Vergilius anxie semper diligens fuerit in uerbis pro causæ merito uel atrocitate ponēdis, incuriosè & abiecte in his uersibus uerbum posuit: Candida succinctā latrātibus inguina mōstris, Dulichias uexasse rates. Vexasse em̄ uerbum est leuis ac parui incommodi, nec tam atroci casui congruens, cum repente homines à belua immanissima rapti laniatiq; sint. Sed & aliud huiuscemodi deprehendi: Quis aut Eurystheadurum, Aut illaudati nescit Busiridis aras: Hoc enim uerbum, illaudati, nō est idoneum ad exprimendam sceleratissimi hominis detestationem, qui quod homines omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus est, sed detestatione execrationeq; totius generis humani dignus est. Sed nec hoc uerbum ex diligentia Vergiliana uenire mihi uidetur: Per tunicam squalentem auro. Nō enim conuenit dicere, auro squalentem: quoniam nitore splendoriq; auri contraria sit squaloris illuuiēs. Et Seruius: De uerbo uexasse, ita responderi posse arbitror: Vexasse graue uerbum est, tractumq; ab eo uidetur quod est uehere, in quo inest iam uis quædam alieni arbitrii: non enim sui potens est qui uehitur. Vexasse autem quod ex eo inclinatum est, ui atq; motu proculdubio uastiore est. nam qui fert & raptatur, atq; huc atq; illuc distrahitur, is uexari proprie dicitur. Sicuti taxare pressius crebriusq; est, q̄ tangere, unde id proculdubio inclinatum est. Et iactare multo fusius largiusq; est q̄ iacere, unde id uerbum traductum est. Quassare etiam q̄ quaterere grauius uiolentiusq; est. Non igitur quia uulgo dici solet, uexatū esse quem fumo aut uento aut puluere laborare uidemus, propterea debet uis uera atq; natura ubi deperire, q̄ à ueteribus q̄ proprie & signatè locuti sunt, ita ut decuit obseruata ē. M. Catonis uerba sunt ex oratione quam de Achæis scripsit: Cumq; Annibal terram Italiam laceraret atq; uexaret. Vexatam Italiam dixit Cato ab Annibale, quando nullum calamitatis, aut sæuitiæ, aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpeffa sit. M. Tullius quarto in Verrem: Quæ ab isto sic spoliata atq; direpta est, nō ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem & cōsuetudinis iura retineret, sed ut à barbaris prædonibus uexata esse uideatur.

De illaudato autem duo uidentur responderi posse: Vnū est eiusmodi, Ne illaudatus, mo quisq; tam afflictis est moribus, q̄ faciat aut dicat nonnunq; aliqd, qd laudari queat. Vñ hic antiquissimus & sus uice prouerbij celebratus est:

πολλάκι καὶ κενὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Sed enim qui in omni re atq; in omni tempore omni laude uacat, is illaudatus est, isq; omnium pessimus deterrimusq; est. Sicuti om̄is culpæ priuatio, inculpatus facit. Inculpatus autem instar est absolutæ uirtutis. Illaudatus quoq; igitur finis est extremæ malitiæ. Itaq; Homerus non uirtutibus appellandis, sed uitijs detrahendis, laudare ampliter eam solet. Hoc enim est:

ποῦ οὐκ ἀκοντε πετιόδιω.

ἐνδὲ οὐκ ἐν ὑβρίζοντα, ἴδοις ἀγαμέμνονα εἶπον.

πολλάκι καὶ κενὸς ἀνὴρ, ὅς ἐστι.

9 5 οὐδὲ κατα